

te non audias, si aut suavitatem pomorum pro adaperitione monstraveris oculorum, aut Diis similem esse promiseris.

Primorum Parentum spes de Christo nascituro ex Matre Virgine.

Gen. 3. 21.

Tertull.

S. Vincen. Ferrar.

2165 Hinc igitur primi Parentes certam animis suis spem conceperunt de Christo Domino Redemptore ex Matre Virgine nascituro, quae una cum ipso Tartareum Draconis caput esset contritura. Fecitque Deus Adae & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos: & ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum. Pro illis verbis, & Hebraica locutio, ut observat noster Mendoza in Viridario l. 1. Pervigilio 1. habet Jesum cor meum. Cum enim jam Deus redemptioni se oppigneravisset v. 15. spe erecti Adamus & Eva pro Christo suspirabant, tanto videndi illum desiderio, ut ab eo corda minimè removerent. Sed placet audire Tertullianum, qui illud premens, Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sic explicat libr. 2. contra Marcio. c. 25. Etsi Adam propter statum legis deditus morti est, sed spes ei salva est, dicente Domino: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis; de futura scilicet adlectione hominis in divinitatem. Quoad Deiparam Virginem spectat, praeslat audire S. Vincentium Ferrariensem in Ser. de Concep. Vir. Mariae, ubi postquam primos Parentes magnam affectos tristitia ob delictum commissum descripsisset, subtexit: Dum autem Adam & Eva essent in illa tristitia, Deus revelavit eis quod ab eis procederet una Virgo sanctissima, quae afferret majus bonum, quam ipsi perdidissent, &c. Cogitate Adam & Eva quomodo conceperunt Virginem Mariam, eam desiderando. Quod Deus eis hoc revelavit, expressè dicunt Doctores sancti. Sed adhuc auctoritas: Deus maledicens Diabolum dixit: Inimicitias ponam, &c. Eadem habet in Ser. de Incarnatione Filii. Hanc primorum Parentum spem consecuti sunt illorum filii & nepotes Patriarchae, Prophetae, & Reges Hebraeorum, universusque Populus Judaicus. Propterea appellatus Christus D. expectatio, vel spes gentium, desideratus, vel desiderium ardentissimum omnium gentium.

2166 Atque hinc jam apparet, quò spectet

Verf. 26. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.

Verf. 27. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum.

ARGUMENTUM.

Ardens Jesu, & Mariae ad gratiam, & gloriam invitamentum.

Propositis jam gratiae sanctificantis, omniumque insularum virtutum divitiis, patefacto perenni totius sanctimoniae, & gloriae thesauro, unde habendae illae sint; sequitur opportunè magnifica invitatio ex ardentissimo Christi, ac Deiparae desiderio, quo omnium salutem exoptant. Et quidem gratiam, & gloriam concupiscuntibus, ut magis magisque concupiscant, eas sub rei rerum omnium dulcissimae, mellis nempe & favi symbolo, proponit, quam dulcedinem longè evincat ipsa gratiae, & gloriae suavitas, caelestis planè, ac divina.

Deipara, dum se Matrem sanctae spei appellat, id est, Christi, qui objective dicitur spes, quia finis exitus spei totius Universi. Et enim ut evincat, in se habere omnem gratiam vitae, & veritatis, etiam illam, quae originaria & prima est, & in qua conditi Angeli, & Protoplasti sunt; Matrem se vocat illius, qui spem, certam utique revelatione facta, primis Parentibus, & reliquis mortalibus indidit futurae redemptionis per Virginem, ex qua ille nasceretur, & cui adsociatus ipse immanem Draconem superaturus esset, & mundo salutem allaturus. Spes enim sancta, quae de futuro Messia habebatur, non Christum tantum, sed & Deiparam spectabat; non Filium solum, sed & Matrem; non victoriam à Jesu tantummodo reportandam, sed à Maria, & ab utroque salutem & redemptionem afferendam: ut perspicue patet ex illis Geneseos verbis c. 3. 15. quomodo à nobis enodata & illustrata sunt i. p. sect. 3. Et quidem, quae & qualis illa hominum spes in Christo, qui mundi peccata ablaturus adveniens ex Matre nasceretur, peccato aliquando infecta? Certè ut Filius Dei naturalis Deus & homo, naturam ipsam sanctus, non se gereret; neque id se esse proderet, quod erat, nempe sancta spes. Ut enim S. Ildephonsus in lib. de Parturit. & Virginit. Mariae; si ipse ex Matre coinquinatus esset, aut Materna viscera quasi pro peccato corrumpere, & sordibus ex vitio primae damnationis coinquinaret, non esset Filius Dei naturalis, sed adoptivus ut ceteri. Quod si peccatum originale in Matre sustinisset, quod est corruptionis, dolorum, & sordium in Puerperis causa per se, & fons? Fatendum igitur erit, Mariam, utpote Matrem sanctae spei, id est, Christi, qui finis exitus spei sanctae universi orbis, à culpa originali omnino fuisse vindicatam. Sancta enim spes appellatur Filius vel à Matre etiam semper immaculata, semper sancta. Immaculata semper stetit ab exordio tuae creationis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis, aiebat Fulbertus Carnotensis in Salutationem Angelicam. Et S. Eligius Noviomensis Episcopus. Hom. 2. de Purificat. Numquam immunda judicatur, quae totius munditiae & sanctitatis auctorem genuisse comprobatur.

Fulbertus Carnot. S. Eligius.

TEXTUS ENODATIO.

2167 Vatablus, & Pagninus ita ex Graeco Vatabl. transferunt: Accedite ad me omnes cupidi mei, & facite ut fructibus meis implemini. Nam memoria mea melle dulcior est, possessioque mea favo mellito jucundior. Joannes Drusius sic: Recedit ad me cupidi mei, & de proventibus meis saturamini: nam memoria mea melle dulcior est, & hereditas mea mellis favo. Joachimus Camerarius in hunc modum: Venite ad me omnes, qui concupiscitis me, saturamini ex fructibus meis: mea conciones sunt dulciores melle, & dona mea dulciora favo mellis. Syrus denique ita: Declinate ad me omnes, qui concupiscitis me, & de fructibus meis optimis voluptate capietis: quia doctrina mea prae melle dulcis est, & vis, qui hereditat me prae favo. Etenim

Etenim

Verba exponuntur.

Gen. 3. 21.

Gen. 3. 21.

Virtutes, atque dona supernaturalia solent appellari generationes. Sap. 7. 11.

Siracides 1. 21.

Isai. 61. 3.

Gen. 6. 9.

Spiritus super mel dulcis dona Spiritus sancti ad sanctificationem.

Etenim pro generationibus, est vox γέννησις, quae significat germen, fructus, proventus, fructum, progeniem, generationes, genus editum, vel enatum. Unde illa translatio varietas. Verbum γέννησις positum pro adimplemini, significat etiam saturare, satiari, imò & locupletare. Pro illis verò, super mel & favum, alii legunt mellis favo, vel favo mellito: Codex Antverpiae cufus ad exemplar Complutense; supra mellis favum, vel etiam supra mel favo. Editio Camerarii posterior habet, supra mel Domini, id est, dulcissimum, praestantissimum; nam ex usu sacrae Scripturae satis vulgari, quidquid in unaquaque re judicatur maximum, id Dei esse dicitur, quasi divinum aliquam participatione Genes. 23. 6. Pl. 79. 11. Pl. 35. 7. Deuter. 33. 1. & alibi saepe. Et quidem de re vehementer suavi & jucunda, quae omnem excedat suavitatem, & jucunditatem, dicitur esse super mel dulcis, dulcor melle & favo. Judic. 14. 18. Quid dulcius melle. Pl. 18. 11. dulciora super mel & favum. Pl. 118. 103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel ori meo. Et Virgilius: favo mihi dulcor. Hybla. 2169 Sed rogabis, quoniam illae sint generationes, fructus, proventus, quibus satiandi, adimplendi, diandique sunt Christum ac Deiparam concupiscentes? Reor planè esse ipsas supernaturales virtutes, necnon gratiam sanctificantem, & Beatitudinis gloriam, quarum Matrem se dixerat, fontem, & originem Christus Dominus, & similiter sanctissima Virgo. Ex usu enim sacri Sermonis Virtutes ipsae, aliaque dona supernaturalia generationes dicuntur. Sap. 2. 11. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Atque ut demonstret bona haec esse generationes passivas ipsius sapientiae, de qua loquitur, subdit continenter: Et ignorabam quoniam bonorum omnium Mater est, Graece, Genitrix, alii, generatio, activa nempe. Noster Siracides c. 1. 21. Omnem domum illius implebit à generationibus, id est, à virtutibus, ut explicant Interpretes. Isai. 61. 3. Vocabuntur in ea fortes justitiae. Hebraice, generationes justitiae, id est, viri per justificationem in sanctitate geniti. Genes. 6. 9. Iste sunt generationes Noe; Noe vir justus, atque perfectus in generationibus suis. Ex Chrysostomi, Ambrosii & aliorum expositione, generationes vocantur virtutes; probati enim viri genus, virtutis profapia est. De quo in illustratione morali iterum redibit sermo. 2170 Rogabis item, quis ille sit Spiritus super mel dulcis? quae melle & favo dulcior hereditas? Porro in his, quae nunc extant, Graecis exemplaribus loco Spiritus, ponitur μνησκόπος; quod significat memoria, memoriale, pignus, aut quid simile relictum apud amicum, quòd illum alicujus commonefaciat. Ast noster Interpres videtur in fideliori exemplari repetisse πνευμα, id est, Spiritus, venit, aura, astatu, anima. Soletque usurpari pro Spiritu sancto tertia Triados persona, quomodo hic nonnulli usurpant. In praesenti non tam ipsum Spiritum S. quam illius supernaturalia dona, virtutes, & gratiae omnes ea Spiritus nomenclaturam significari judico. Id enim, praeterquam quòd contextus ipseluadet, admitti quoque debet ab interpretibus. Dicuntur autem Spiritus Dei, vel quia sunt dona Spiritualia, vel quia, ut effectus

P. Ildeph. de Flores in Eccles.

à causa, ab Spiritu S. procedunt. Quippe illum perinet peculiari ratione Angelos, & homines sanctificare, eò quòd ipse producat per operationem honestissimi ac purissimi amoris. Unde Augustinus lib. 101. de Civit. Dei aiebat: Spiritus S. est sanctitas amorum. Et eatenus dicitur hic Spiritus mitti ad nos, & habitare in nobis, quatenus producat in nobis gratiam, virtutes, & reliqua dona supernaturalia. Ut enim S. Cyrillus Alexand. lib. 13. Thesauri c. 4. Ipsam sanctificandi virtutem, quae ex Patre naturaliter procedit, & creaturas sanctificat, atque perficit, Spiritum S. appellamus. Adde, Spiritum S. donaque ipsius appellari à Paulo spiritum Christi, ad Rom. 8. 9. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Et ad Galat. 4. 6. Quoniam autem estis filii; misit Deus Spiritum Filii sui: id est, gratiam sanctificantem, qua reddimur filii Dei adoptivi; ut hinc videas, quò jure corporata Sapientia apud Siracidem dona gratiae appellet Spiritum suum. Quò spectat Graeca translatio, quae pro Spiritu legit, memoria, memoriale, pignus. Sic enim appellat Apostolus gratiam, charitatem, ac reliquas virtutes, quae sunt pignus aeternae Beatitudinis 2. Corinth. 5. 5. Qui dedit nobis pignus. Ephesi. 1. 14. In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est Pignus hereditatis. 2171 Denique hereditas melle, favoque dulcior, aeterna est Beatitudo; quam Deum etiam possessionem vocat, juxta Tigurina translationem. Sic Interpretes omnes. Atque ita solet vocitari in sacro eloquio Pl. 126. 2. dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. Et Siracides c. 4. 14. Qui invenerit Siracides 4. illam, vitam hereditabunt, Graecè gloriam. Pl. 15. 5. Dominus pars hereditatis meae, & Pl. 15. 5. calicis mei tu es qui restituas hereditatem meam mihi. Optimè Galfridus relatus à Godofrido Til. Galfridus manno in lib. Allegoriarum. Ad centuplum pertinet, Spiritus meus super mel dulcis: ad vitam aeternam, super mel & favum. Hic gratia spiritualis, ibi perennis gloria commendatur; gratiam enim & gloriam dabit Dominus. Et Radolphus Ardens in Hom. de Nativ. Virg. Si aliquid dulcius invenisset, illud posuisset. Et quidem inspiratio divinae sapientiae in sanctis, quamvis sit particularis, & umbratilis, tamen super omnem dulcedinem est. Sed quanta putatis erit dulcedo in aperta perceptione, & hereditate illius, quae in Dei visione fiet! Dabo in illustratione morali alia Doctorum testimonia, unde luculentiora fient haec dicta.

TEXTUS ILLUSTRATIO

De Christo Domino.

SECTIO VI.

Christus D. vehementer exoptat nostram omnium salutem, salutis incrementum, & perennitatem.

2172 Vehemens Christi affectus Paternus, Maternusque de nostra omnium salute, salutisque incremento & perpetuitate gloriosa, resplendet porro in illis verbis: Transite ad me omnes, vel, ut alii vertunt: Venite, accedite, declinate, recedite ad me omnes. Omnes vocat, & ad se vocat, ardentè exoptans ut universi ad illum veniant, accedant: ea solum conditione, ut cupi-

C c c 2